

241

U  
1  
H



72

FACULTATIS PHI-  
LOSOPHICÆ  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
**DECANUS**  
Lectorem Benevolum  
ad auscultandam  
*crastino mane diei Parasceves*  
ORATIONEM PENTECO-  
STALEM  
*officiosè & peramanter*  
*invitat.*

---

LIPSIÆ,  
*Imprimebat JOH. ERICUS HAHN,*  
*A. C. 1666.*

13.



FACULTATIS PHILOSOPHICAE  
IN ACADEMIA ALPENSIS  
DECAVUS

ORATIONEM PUBLICAM  
STALEM

IMPENSIS JOH. CAROL. HANN.  
M. D. C. C. C.





**S**olent, qui Apocalypitico de mille annis dicto *a)* abutentes mille annorum felicitatem in his terris Ecclesiae promittunt, auream isthanc aetatem appellare **SECULUM SPIRITUS SANCTI** *b)*. Totam quippe ab Orbe condito temporum varietatem pro Personarum sanctae Trinitatis numero digerunt in aevum *Dei Patris*, quod à Mundi creatione; *Dei Filii*, quod ab adventu Christi in carnem, inchoant; & *Spiritus Sancti*, quod ab exciso praecipue Antichristo expectare jubent. Hujus opinionis historiam qualemcunq; Lectori nostro narrare nec alienum erit ab officio, Pentecostali Sermoni praefari nonnihil cupientium, nec importunum hoc tempore, cum non ita pridem disseminatae chartae Chiliastrum svadere denuò ceperint. Non vana spes est fore, ut simul ex autoribus, qui notae sunt omnes pravitate, de dogmate, velut ex arboribus de fructu, iudicium ferri queat: simul ipsius dogmatis inconstantia, nec enim sibi per omnium calamos constat satis, vanitatem arguat sui. Principio monemus, à Gregorio Nazianzeno *c)*, & Jobio monacho *d)* prolata quaedam fuisse, quae sententiam illam non contineant quidem, ad eam tamen aliquo modo, sed absq; suspitione contagii, alludant *e)*. Itaq; toto genere ab his dirimendi veniunt, quos doctrinae scabiosae patronos è diversis jam.

A 2

seculis

*a)* Apoc. 20, 4. *b)* Luc. Ofand. admon. de vatic. corrupt c. 3. p. 40. loquens de fanaticis Chiliastrarum errorem retodientibus: *nominatim mille determinant annos, quibus Spiritus S. seculum, quod sibi fingunt, sit duraturum.* *c)* Orat. de Spir. S. (quae est quinta de Theologia, cum sit alias in universis tricesima septima,) f. 230. ed. lat. Billii Antverp. A. 1612. & f. 225. ed. graec. Basil. 1550. Conf. & Orat. 21. f. 146: ed. lat. *d)* apud Phot. cod. 122. f. 611. 614. (ubi ad Gregorium provocat,) 622. & 623. ed. graecol. Schotti Rothomag. A. 1653. *e)* Uterq; tres illustres mutationes memorat (*μετὰ θεσεις βίων* vocat Gregorius, Jobius *πολιτειών*.) quas & terra motus nominet scriptura (Ps. 113. al. 114. v. 7. Agg. 2, 7. Hebr. 12, 26.) Primam Veteris Testamenti ab idolorum cultu ad Legem; Secundam novi à



seculis fidei testimoniorum descriptione dabimus. Primus, & qui  
 semenvelut hujus zizanii sparserit, nobis occurrit Joachimus, Or-  
 dinis Benedictini Abbas, qui vixit circa annum 1195. De hoc in  
 Hæreticorum Epitome verba Prateoli f) sunt: *Inter cæteras fabellas,*  
*quas populo Christiano ingerere solebat, una est, quâ tres hominum*  
*status esse dicebat. Primum quidem, in quo homines secundum carnis*  
*statum vixerunt, quem ab Adamo ad Christum usq; deducit. Secun-*  
*dum verò, in quo mediam inter carnem & spiritum vitam homines*  
*duxerunt, & hunc à Christo ad Divum Benedictum protendit. Ter-*  
*tium dicebat eum, in quo vivitur & vivetur secundum spiritum, quem*  
*deducit à Divo Benedicto, sub cujus disciplinâ militabat, ad finem*  
*mundi usq;. His autem tribus statibus tres ordines hominum adaptat,*  
*Conjugatorum, Clericorum, & Monachorum. Conjugatorum or-*  
*dinem dicit initium sumpsisse ab Adam, & fructificasse ab Abraham.*  
*Ordinem autem Sacerdotalem ab Oziâ, qui de tribu Judâ incensum*  
*Deo obtulisse traditur, incepisse, fructificasse verò à Christo, qui Rex*  
*est & Sacerdos. Ordinem deniq; Monachorum à Divo Benedicto*  
*viro sanctissimo inchoatum esse, sed fructificare cepisse ipsius Joachimi*  
*Abbatis, ut de seipso testificatur, temporibus. Primo ergò statu lex*  
*carnalis*

Lege ad Evangelium; *Tertiam* ab hac vitâ in illam æternam. In primâ so-  
 lum *Patrem* manifestè revelatum ajunt; in secundâ prius *Filium* postea &  
*Spiritum S.* in terciâ totam nobis *Trinitatem clarissimè* apparituram. Pri-  
 mum terramotum Jobius Patri, secundum excellentiorem Filio tribuit;  
 Spiritui S. excellentissimum tertium. Gregorius secundi priorem partem Fi-  
 lio videtur dedisse; posteriorem Spiritui S. & hanc statim ab Apostolorum  
 prædicatione inchoasse. Quod enim discipulis ait Salvator (*Joh. 16, 12, 13.*)  
 habere se multa dicere, quæ nondum portare illi possent, sed ea fore ut ab  
 adveniente Spiritu edoceantur: in iis ipsam Spiritus S. Deitatem fuisse cen-  
 ser, cujus manifestatio post Christi *ἀποκατάστασις* matura demùm fuerit.  
 Hæc omnia ita disserit Gregorius, dum occupatur in refutando argumento,  
 quod contra divinitatem Spiritus S. ducebant hæretici à silentio scripturæ,  
 quòdque observari velim, apertè profitetur, afferri hæc à se quasi ex personâ  
 ejus, qui *τὸ ἀγραφὸν ὑποθέμεν* & silentium isthoc scripturæ concedat.  
 Ipse verò statim velut ex propriâ mente, ut *λίαν ἔγγραφος ἢ τῶ πνεύ-*  
*ματι* & *θεότης* confirmetur, nubem oraculorum hanc in rem sacrorum ad-  
 versariis opponit. f) p. 552. in editione, quam libro II. Chronici Chro-  
 nicorum Ecclesiastici Joannes Gualterus (h. e. Janus Gruterus) inseruit.

carnalis data est, ut ille asserit: Secundo lex spiritualis, utputa Evangelium, quod tamen per Apostolos non juxta spirituales intelligentiam, sed tantum secundum literam predicatum fuit. Sed in tertio, quem ponit, statu Evangelium fore predicandum dicit juxta spirituales ejus intelligentiam, & hoc per monachos illos Divi Benedicti. Paulò junior fuit Joachimo, siquidem anno Domini 1204. emerit g) Amalricus h) Doctor Parisiensis. Post cujus mortem, Vincentio i) teste, ejus venenosà doctrinà quidam infecti surrexerunt, qui novos & inauditos errores, & adinventiones Diabolicas confinxerunt. Inter cetera verò impudenter asserere conabantur, quòd Patris potestas duravit, quamdiu viguit Lex Mosaica, & quia scriptum est: novis supervenientibus abjicietis vetera. Postquam enim Christus venit, absoluta sunt omnia veteris Testamenti sacramenta, & viguit nova Lex usq; ad illud tempus videlicet, quo predicabant talia. Illo ergò tempore dicebant novi Testamenti Sacramenta finem habere, & Spiritus Sancti tempus incepisse. Ideoq; confessionem baptismum, eucharistiam, & alia etiam, sine quibus non est salus, locum de cetero non habere, sed unumquemq; per gratiam Spiritus S. tantum interius sine aliquo exteriori actu inspiratam salvari posse. His alia plura cum junxisset Vincentius, addit, hujus sectæ convictos Parisiis jussu Regis extrà portam in Campellis crematos; Hæresiarcham sacro cœmeterio ejectum, ejusq; cinerem & ossa per sterquilina dispersa esse. Causam ergò habuit opinionis hujus propagator tertius Joannes de Parma, generalis minister ordinis Minorum, cur scriptum à se, & anno 1254. vulgatum Æterni Evangelii k) horribilem librum, doctrinam esse

A 3

vellet

g) teste Prateolo p. m. 326. h) ita Vincentius mox allegandus vocat, & passim Gerson. Quod rectum puto. Est enim ejusdem originis cum Amalfrido, Amalasantà, & similibus. Vulgò Almaricum nominant. i) lib. XXIX. Spec. Hist. c. 107. f. 1222. Adde hoc Bellarmini p. 103. Chron. Almaricus Doctòr Parisiensis docuit, Legem Dei Patris durasse usq; ad adventum Christi, legem Christi usq; ad Almaricum, legem Spiritus S. usq; ad finem mundi. k) De hoc Æterno Evangelio multi multa. Accurate factis Jac. Usserius c. 9. de Christ. Eccles. success. & stat. p. 337. seqq. ed. Hanov. 1657. sæpè hâc in re citandus nobis. Itaq; de autore libri cum vide p. 337. de anno publicationis p. 338. quem annum prodit & computatio illorum, quæ p. 340. n. 4. referuntur.

vellet Joachimi *l)* potius, qui Propheta suo tempore habitus est *m)*,  
 quam hæreseos iniusti tam propudioso stigmate Amalrici. De-  
 fenderunt id scriptum non Minores modò, sed Prædicatores, qui-  
 bus per eam tempestatem gravissima fuit, nec infelix *n)* cum Aca-  
 demicis Parisiensibus conflictatio. Jam cum in hoc novò Fratrum  
 Alcoranò, sic enim meritò cum Usseriò *o)* appelles, multæ sint a-  
 troces blasphemix, ad institutum præsens facit maximè, quòd do-  
 cuerunt: *sicut veniente Jobanne Baptistâ ea, quæ præterierunt, re-  
 putata sunt vetera propter nova supervenientia: ita adveniente tem-  
 pore Spiritûs sancti sive tertio statu mundi, ea quæ præcesserunt, re-  
 putabuntur vetera propter nova, quæ supervenient. Per quòd datur  
 intelligi, quòd novum Testamentum reputabitur vetus, & projicietur.*  
 Item: *Sicut in primò statu mundi commissum fuit regimen totius Ec-  
 clesie à Patre aliquibus de ordine conjugatorum, in quo autorizatus  
 fuit ille ordo; & in secundo statu commissum fuit aliquibus de ordine  
 Clericorum à Filio, in quo ab ipso glorificatus fuit ille ordo: sic in ter-  
 tio statu committetur alicui vel aliquibus de ordine Monachorum à  
 Spiritu S. in quo vel quibus ab ipso Spiritu ille ordo clarificabitur p).*  
 Joannis de Parmâ, quem nominavimus, Auditor *q)* fuit Huberti-  
 nus de Casali Ordinis fratrum Minorum, quem anno 1300. clarif-  
 se scribit Trithemius *r)*. Is acceptam à Magistro seculorum divi-  
 sionem quemadmodum educaverit, animadvertere licebit ex iis,  
 quæ adscribemus: *Sicut, inquit, in primo mundi statu, videlicet à  
 creatione mundi usq; ad nativitatem Christi successivè crevit doctrina  
 fidei, & illuminatio scripturarum, ac major expressio, prophetiarum*  
*de*

*l)* ibid. p. 340. & 341. *m)* Trithem. de script. Eccles. p. 76.

*n)* Quamquam enim ne Romanæ quidem Ecclesiæ parcebat hoc novum Ev-  
 angelium, ut intelligis ex Usser. p. 342. n. 5. 6. tamen visum Pontifici, homi-  
 nes sibi maximè necessarios tractare quàm lenissimè. Unde & Magistrorum  
 Parisiensium liber Fratribus oppositus damnatus est, atq; combustus, Usser.  
 p. 347. Add. Mornæ, Myst. Iniq. p. 926. *o)* p. 345. *p)* ex Henrico  
 Erfurdiensi referunt Usser. p. 342. 344. & Magdeburgenses Cent. XIII. f. 567.  
 568. Mornæus p. 926. Myst. iniq. his verbis eorum hoc dogma concipit: *De-  
 um Patrem sub lege regnasse, Filium sub gratiâ: sed jam exortis quatuor  
 Mendicorum ordinibus Spiritum S. regno inaugurari, ad finem usq; mundi  
 duraturo, atq; eos solos salvatum iri, qui nos huic Evangelio credituri es-  
 sent.* *q)* Trithemius loco jam citando. *r)* de script. Eccles. p. 98.



de Christo clarior per vocem legis explicatio: sic in secundo mundi statu, id est tempore gratiae & novi Testamenti magis ac magis illuminatur & explicatur Christiana veritas. Ergo in tertio mundi statu, id est à secundo s) Christi adventu usq; ad finem mundi per influentiam Spiritus S. scriptura sacra apertissime patebit. Nam sicut novum Testamentum est porta veteris Testamenti: sic iste status Spiritus S. erit generalis porta utriusq; Testamenti, quia hunc sequetur octavus status t), qui est gloria sempiterna. Profert hunc Hubertini locum, & simul, ut alia ejus plurima, probat Johannes Episcopus Chemenfis u), qui sub tempore à Lutero susceptae Reformationis librum exaravit *Oneris Ecclesiae* titulo, scriptor ut infensus Lutero, sic Chiliastarum somniis satis profunde indormiens x), è quo visum est hæc pauca, multorum specimen, excerpere y): *Generalis Status & cursus*

s) Duo sunt Adventus Christi: unus in carnem, alter ad iudicium. Quare & Nazianzenus terræ motum postremum, quo scilicet à tempore transibitur ad æternitatem, nihil aliud fore affirmat, quam secundum Christi adventum, Orat. 21. f. 147: ed. lat. Conf. quæ supra diximus lit. e. At novi Prophetæ, & in his Hubertinus, pro duobus Christi adventibus tres numerant, secundumq; interjiciunt eum, qui futurus sit ad interficiendum Antichristum, & reformandam Ecclesiam. Vid. Onus Ecclesiae c. 62. p. 341. 344. & nostri seculi Chiliastas hæc approbantes Alstedium de mille annis p. 113. & Rallium Halcyon. Eccles. c. 4 p. 15. t) Ecclesiae puta: ne confundas hos octo statum cum tribus statibus Mundi. Sic autem accipe. Facit Hubertinus, & cum eo Autor oneris Ecclesiae, quem vide c. 67. p. 363. 364. tres mundi statum, eos ipsos puta, de quibus hæc suscepta nobis est scriptio. Primum subdividunt in sex primas ætates, in quibus claruerint duodecim Patriarchæ totidemq; Prophetæ; Secundum in sex alteras, in quibus Apostoli, Martyres, Doctores, Anachoritæ, Confessores. Has excipit septima sive ætas sive status Ecclesiae, (promiscue enim has voces usurpant,) qui idem est status Mundi tertius, seu seculum Spiritus S. Chiliasticum. Quo finito statum demum octavum faciunt Æternitatis, Mundo videlicet cum statibus suis abolito. Hinc æstimabis, quod argumentum fuerit Commentarii, quem de septem statibus Ecclesiae scripsit Hubertinus in Apocalypsin apud Sixt. Senens. in Bibl. f. 268. u) Hunc esse istius libri, qui alias anonymus circumfertur, autorem prodit Gerhardus proœm. Confess. Cathol. p. 18. 19. additq; scriptum fuisse librum anno 1519. ac primum prodisse Landshutæ in Bavariâ A. 1524. x) Vidit hoc B. Gerhardus, cum Chiliastis eum annumeraret Tom. IX. Loc. tit. de Consumm. sec. n. 76. p. 459. y) ex c. 67. p. 363. seqq. edit. A. 1620. absq; mentione loci.

*curfus universi Mundi trifariam partitur. — Primus censetur esse Dei Patris, cujus sola persona à Mundi creatione usq; ad novum Testamentū innotuit in Israel. — Secundus — Dei Filii, cujus Persona incepit Mundo innotescere tempore novi Testamenti. Tertius, qui vocatur perfectionis, incipiet post Antichristum, utpote à prædicatione Enoch & Helie, — durabitq; usq; ad extremum judicium. Idem attribuitur personæ Spiritus Sancti, qui — proprie est Spiritus veritatis, qui cum venerit, docebit homines omnem veritatem (Joh. 16. 13.), quam hic mundus in secundo suo statu non potest accipere, quia non videt Spiritum S. nec scit eum, quoniam animalis homo mundum diligens non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei (1. Cor. 2, 14.) — In ipso tertio Mundi statu Judæi omnes fide verâ imbuentur. — Præterea totus universi orbis populus ad Deum convertetur. Hæc ille adolescente seculo superiore. Cum quibus conferri possunt, quæ de tribus Mundi curfibus Anabaptistæ Monasterienses durante obsidione anno 1535. deblaterarunt in libro Restitutionis totius Mundi x) . Eodem seculo jam decrecente tibias non multum absimiles inflavit incertæ homo religionis Sebastianus Castellio, cum ista scriberet a) : Considerandum est, Spiritum S. esse quidem, semperq; fuisse unum, sed habere tres ætates non in se, sed nobis. — Is ad hominem, à quo per peccatum longissimè discesserat, cæpit procul accedere per legem : itaq; fuit illa Dei cognitio, quam Lex attulit, per quam obscura, atq; rudis & puerilis. — Legi successit deinde Christus, qui Dei cognitionem attulit longè majorem ille quidem, non tamen perfectam, — quia nondum per ætatem ferre poterant discipuli, quæ ipse eis dicenda habebat. Itaq; promisit eis, & postea misit Spiritum S. qui eos duceret ad omnem veritatem. — Prima ætas Patris est, secunda Filii, tertia Spiritus S. qui tres unum sunt, gignuntq; tribus ætatibus novum hominem immortali semine sermonis æterni, Pater filium lege, Filius adolescentem Evangelio, Spiritus virum afflatu perfecto. Equidem in his ætatem Spiritus Sancti, ut ab ævo Apostolico jam inchoatam, repræsentat Castellio. Verum & hæc mihi inspiciat aliquis; videbit promitti ut inchoandam demum : Existimare debes, inquit b), Dei Spiritus esse quendam*

*x) descripsit locum Gerhardus Tom. IX. Loc. p. 454. a) Dialog. de lib. arbit. p. m. 185, seqq. edit. Aresdorf, 1578. b) eod Dialog. p. 199.*

*pendam quasi ventum animos impellentem, & ad obedientiam fle-*  
*ctentem. Is in Lege flavit vehementer, multosq; mortales flexit ad*  
*obedientiam. Deinde in Evangelio flavit longè vehementius, multoq;*  
*plures flexit, quos Lex flectere nequivisset. Idem ad extremum flabit*  
*longè vehementissime, adeò, ut ejus vi resistere nulla vis queat. Itaq;*  
*multos etiam flectet, quos Evangelium flectere nequivit. — Omnes*  
*homines aut flectet ad obedientiam, aut in sempiternas pœnas extir-*  
*pabit. Quid ergò? sibi ne ipsi contrarius est Castellio? Ita quidem*  
*decebat lymphatum caput. Sed audi tamen conciliationem. Vi-*  
*detur enim seculo Spiritus S. duas partes dedisse, præteritam & fu-*  
*turam, illam inchoatam in Apostolis, hanc perfectam omnibus*  
*numeris sub Mundi finem, dum alibi c) ait: Quemadmodum & Pa-*  
*tris & Filii opera sua initia & incrementa habuerunt: ita factum est,*  
*sitq; adhuc in opere Spiritus. — Itaq; principio impertivit suis dona*  
*linguarum & miraculorum, & vaticiniorum, quæ essent rudimenta*  
*futuri operis perfecti, h. e. æterni perfectiq; amoris Dei: qui amor*  
*ubi venerit, omnia illa rudimenta cessabunt, nec ipse Spiritus in operis*  
*sui progressionibus ante conquiescet, quàm perfecto corpore Ecclesiæ*  
*omnes ejus alumni ad unitatem fidei, ad adultam ætatem veritatis per-*  
*wenerint. Tunc Deus perfecto omni opere suo feriabitur. Ut ad no-*  
*strum seculum veniamus, circa annum 1616. Ezechielis Methi as-*  
*sectæ B. Gerhardo d) teste, Chiliastarum somnia magna ex parte am-*  
*plectebantur. Tria enim statuebant secula juxta numerum trium in*  
*Divinitate personarum. Primum tribuebant Patri, quod cœpisse di-*  
*cebant in promulgatione Protevangelii: secundum Filio, quod cœpisse*  
*arbitrabantur in ipsius incarnatione & adventu: tertium Spiritui*  
*Sancto, cujus seculi initium hoc nostro tempore futurum, idemq; per*  
*mille annos secuturum suspicabantur. Primum vocabant vetus, se-*  
*cundum novum, tertium novissimum Testamentum, in cujus limine se*  
*versari gloriabantur. Hi ergò seculi Utopici e), cui per summam*  
*injuriam augustum à Spiritu S. nomen imponunt, Apostoli sunt,*  

B qvi

c) defens. ad autorem libri, cui titulus: Calumniæ nebulonis, p. 62.  
 Scripsit illam Castellio, ut est in fine libri, anno 1557.      d) Tom. IX. Loc. p.  
 457. Cum quibus, si lubet, compone, quæ p. 459. ex doctrinâ Fratrum Ro-  
 sexæ Crucis de tribus seculi mundis recensentur.      e) sic vocat Luc. Osiander  
 in titulo admonitionis de vaticin. corrupt.

qui ut video, septem prodierunt nobis, Joachimus, Amalricus,  
 Joannes Parmensis, Hubertinus, Joannes Chemensis, Castellio,  
 Methus. Omnes vel hæreticorum adscripti Catalogis, vel fanati-  
 ticæ notis insanix à rectè sentientibus compuncti. Nec injuriâ.  
 Omitto ipsorum urgere minimè consonantes sensus *f*). Quis  
 Christianus ad blasphemias inprimis illorum voces, qui Apосто-  
 los ut literæ solius absq; spiritu concionatores traducunt, qui Ev-  
 angelium ipsius Christi à suo (videlicet meliore) abrogandum ja-  
 ctitant, non toto pectore cohorrescat? Tres fateor mundi ætates  
 jamdiu agnovit sana Antiquitas: Sed alias longè. Unam ante  
 Mosis Legem, alteram sub eâ Lege, tertiam sub Evangelio Christi.  
 In has ætates duo Testamenta sic partiri solemus, ut veteri binæ  
 priores cedant, novo integra tertia. Anathema enim Apосто-  
 lus *g*) dicit illi, qui aliud afferat Evangelium. In has tres ætates  
 non commodum est partiri sacras Divinitatis Personas. Nam si  
 quid hinc tentes, Filio certè Dei nihil aptius dabis, quam Novi Te-  
 stamenti Ecclesiam. Relinquetur ita Patri Lex Mosis, Spiritui San-  
 cto tempus illam antecedens, nullo justo nec ordine Personarum,  
 nec historiæ colore. Quare Nazianzenus & Jobius *h*) cum omni-  
 nõ mysterium Trinitatis aptare seculis hominum vellent, corru-  
 ptibilis mundi fines excedendos sibi putavere, ut Patrem toti ve-  
 teri Testamento, Filium novo, Spiritum Æternitati darent ultra-  
 mundanæ. Quæ tripertitio ab illâ priore discedit spacio infinito.  
 Suspicietur aliquis, illas veterum Ecclesiæ doctorum argutias, ubi  
 in fœtens dolium incidissent, in hoc acetum degenerasse, Pseudo-  
 prophetis pro Æternitate mille annos apocalypticos, vel nescio  
 quid illis simile, quod hujus Universi consummationem antecede-  
 ret, & in tempus felicissimum Ecclesiam attolleret, substituenti-  
 bus. At verò, quid hoc aliud erat, quàm tot prædictionibus, quæ  
 dies mundi extremos omnium flagitiosissimos nobis depingerent,  
 reclamare? Sed nimirum his jactis fundamentis necesse fuit, ut pro  
 veteri

*f*) Multi sæculo Spiritus S. ut futuro inhiant. Præsens jam tamen il-  
 lud sibi credebant Methistæ. Imò mens eadem ante tot secula totius phalan-  
 gis Antesignano Joachimo, qui à Benedicto suo felicitatem illam auspicaba-  
 tur. Sic & Amalrico. Nec multo abire videtur æternus Pseudevangelista.  
*g*) Gal. 1, 8.     *h*) supra lit. e.

veteri Testamento novum secarent in partes, aut pro duobus Te-  
 stamenti tria conflarent *i*): ut Evangelio & Sacramentis Christi,  
 ceu veteribus calceis, abjectionem minarentur *k*): ut Apostolos à  
 possessione Spiritus Sancti exclusos præ se aut Chimærici seculi sui  
 civibus contemnerent *l*), homines timidi, & enthusiastico furore  
 pleni. Nihil potuit cum historiâ Pentecostali pugnantius pro-  
 ferri. Promiserat Jesus *m*) discipulis spiritum veritatis, qui, quæ  
 nondum capere tunc possent, eos doceret. Quin factum hoc fuerit  
 in illâ divini Spiritus effusione super Apostolos visibili, nefas est  
 Christiano dubitare *n*). Cur ergò visionis illius eventum, quasi  
 nunquam impletum, hianti ore captare nos jubent isti veraculi *o*)?  
 Quanto sanio rem viam ingreditur Oratio Adolescentis raro ultra  
 ætatem exemplo docti MATTHIÆ GEIERI, Artium bonarum Bac-  
 calaurei, quam de Spiritu S. à se verbis & latinissimis, & veram sa-  
 pientiam spirantibus conscriptam exhibuit nobis! Comparat san-  
 ctum Spiritum unguento, non quod præteritis ignotum seculis ran-  
 cidæ Chiliastarum polliceantur pyxides: sed quod jam olim Apo-  
 stolorum capita perfuderat: imò quod à Summi Sacerdotis nostri  
 vertice in faciem & barbam, & membra universa corporis mystici  
 in hunc usq; diem destillat: & de quo S. Johannes *p*) dixerat: *Un-*  
*ctio ejus docet vos de omnibus.* Habebit hanc orationem crastino  
 mane horâ octavâ. Quam ut honestare præsentiam suâ Magnificus  
 Academiae Rector, Facultatum omnium Proceres ac Doctores gra-  
 vissimi, unâ cum ornatissimâ Studiosorum concione dignentur,  
 impe-

*i*) Vetus, novum, & novissimum vocabant Methistæ. Tertium quo-  
 que nescio quod Testamentum jam olim ævo Nazianzeni (ut ex oratione  
 ejus 37. f. 2. 5. apparet,) hæretici Spiritus S. divinitatem impugnantes. Affine  
 huic, quod pro duobus adventibus Christi tres numerabant, supra lit. 5.  
*k*) faciunt hoc Almaricus, & Faber æterni evangelii satis crasse. Subtilior  
 stylus est Hubertini, qui seculum suum Spiritus S. vocat portam utriusq;  
 Testamenti, puto per quam sit utriq; suscipienda migratio in exilium.

*l*) Respice doctrinam, Joachimi & Castellionis. *m*) Joh. 16, 12. 13.  
*n*) itaq; ut impletum in Apostolis profert Nazianzenus, supra lit. e.  
*o*) ut adhuc implendum allegat scriptor oneris Ecclesiæ. Qui & visibilem  
 Spiritus S. conspectum somniare videtur. Quod à veteribus hæreticis ac-  
 cepisse credas, qui ipsi quoq; Spiritum S. se vidisse gloriabantur.  
*p*) 1. Joh. 2, 27, De Spiritu S. interpretatur in Bibliis Ostender.

impetrabit spero non modò intercessio hæc nostra, sed & Summi  
Theologi, quem Parentem habet Orator, in hanc Academiam, cu-  
jus ipse pars quondam præcipua fuit, favor singularis, in Ecclesiam  
Christi merita præcellentia, in bonos omnes voluntas propensa.  
Quam adeo Ipsius nomine polliceri Auditorio futuro, cum studiis  
nostris pro cujusq; conditione promptissimis conjungendam non  
dubitamus. PP. Lipsiæ propriè Pentecostes ipsis  
Calendis Juniiis Anni  
M DC LXVI.



DD A 6358

ULB Halle 3  
002 920 387




Sb.

Reho ✓ 1077

518





Fragment of text on the spine, including a prominent red initial 'P'.





72



S PHI-  
 CÆ  
 LIPSIENSI  
 NUS

evolum  
 am  
*parasceves*  
 ENTECO.  
 M  
*anter*

US HAHN,